Q. D. B

DE

ANNO N

JESV CH

EX ANNIS R

QVINTILII VARI,
QVE SYRIAE PRAESIDVN
CONSENSV SVMM
NIS THEOLO

PRAES

CORNEL. D
KOC

S. THEOL. D. PHIL. PR. E
HOSPITE AC PRAECEPT
DISPVTA

JOHANN NICOLA
GOSLARI

AD D. XXIII. MAI,
IN IVLEO

HELMSTADII, TYP. JOHA

D. B. V.

DE

NATALI
CHRISTI

IS REGIMINIS

ARI, CETERORVM-
ESIDVM DEMONSTRATO,

VMME VEN. ORDI-
HEOLOGORVM,

RAESIDE

DIETERICO
OCH,

L. PR. ET RAT. PROF. ORD.
AECEPTORE VENERANDO
ISPVTABIT
COLAVS FROBÖSE
GOSLARIENSIS
XIII. MAI. A. MDCCXXII.
IVLEO MAIORE.

YP. JOHANNIS STEPHANI HESSII,

CO

VIRIS

MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS DOCTISSIMIS, CONSVLTISSIMIS, GRAVISSIMISQVE

CONSVLIBVS, SYNDICO,

CETERISQVE

SENATVS ARCTIORIS ADSESSORIBVS, IN IMPERIALI AD GOSAM CIVITATE,

PATRIÆ PATRIBVS VIGILANTISSIMIS, SPECTATISSIMIS, AESTVMATISSIMIS,

PATRONIS SVIS PERPETVO PIETATIS CVLTV DEVENERANDIS,

DISPVTATIONEM HANC
IN
DEVINCTISSIMI ANIMI TESSERAM SVBMISSE,
VT DEBVIT, SIC VOLVIT OFFERRE,
QVI
PRO EORVNDVM INCOLVMITATE, PROSPERITATE,
FAVSTOQVE REGIMINE,
VOTA FVNDIT SEQVENTIA:

JVstitiæ lux alma, fugandis orta tenebris,
Pectora collustret lumine Vestra suo!
NAtus in extremo miserorum fine dierum
Lætitiæ Vestræ JESVS origo fiet!
FOns hic consilii, dux pacis, cœpta secundet;
GOSLARIA ut vigeat fausta, quieta, diu!
Cujus ab optato *natali nascimur* omnes,
Tranquillos VOBIS det sine fine dies!

Civis ac cliens addictissimus.

DE
ANNO NATALI
JESV CHRISTI
DISPVTATIO ALTERA.
§. I.

VT annum natalem J. C. verum penitus cognoscamus, quem quidem disputatio prior in annum urbis 749. iulianum 41. HERODIS 36. tertium ante BARONII, & quintum ante vulgarem notationem, contulit, vocat nos doctissimus PAGIUS ad nummum QVINTILII VARI, Syriæ præsidis, contemplandum. Quem quia anno antiochensium XXV. obsignatum videt, ideo annum J. C. natalem etiam amplius retrahendum putat, in a. videlicet urbis 748. Nempe ita ratiocinatur: VARVS Syriæ præses venit in Judæam ante HERODIS obitum. Atqui VARVS idem anno antiochensium 25. h. e. ab actiaca victoria, quæ a. u. 723. contigit, jam Syriæ præses fuit; quod nummus indicat. Igitur præsidium ejus saltem anno urbis 748. cœpit. Porro quia censum nascente CHRISTO actum SENTIO SATVRNINO præside scripsit TERTVLLIANVS, qui deserendus non est: SATVRNINVS autem proxime ante VARVM Syriam rexit: ergo CHRISTVS saltem an. urbis 748. si non priori, natus fuit. Hæc

ſumma eſt ratiocinationis ejus, qua PAGIVS utitur. (a) Verum, quod pace dixerim PAGII amicorum, nihil neceſſario effectum iſta quidem ratiocinatione eſt. Nam fuerit VARVS præſes Syriæ anno antiochenſium 25. id quod indici nummo credimus, quodque eſt conſectarium, anno urbis 748. non ideo etiam natalis CHRISTI in annum eundem conſerendus videtur. Quanquam enim annos antiochenſium ab actiaca victoria, a.u. 723. ducendos eſſe largimur PAGIO, non ab ſequenti 724. quo Antiochia demum venerit in AUGUSTI poteſtatem, & Aſia recepta ſit, quod eminentiſſimus quidem NORISIVS aliquando tuebatur: (b) tamen PAGIUS nihil proficiet. Ecquid enim prohibet, quo minus SATVRNINVM anno eodem 748. abiiſſe e Syria, & VARVM in hujus locum ſucceſſiſſe fateamur: itaque VARVM Syriæ præſidem a. u. 749. quo Chriſtum natum credimus, agnoſcamus?

TERTVLLIANVS repugnat, (c) inquiet PAGIVS. Nobis autem tanta non eſt TERTVLLIANI autoritas in rationibus temporum componendis, ut ei potius, quam nummis, quam monumentis ceteris fide dignis, credendum putemus: quippe quem multis modis errantem in his rebus jam deprehenderimus. Et erroris quidem præſentis cauſam vel occaſionem videre nobis videmur: nempe quod eodem fere tempore, quo actus cenſus ſecundus ab AVGVSTO, & luſtrum conditum CENSORINO & ASINIO conſulibus eſt, SATVRNINVS præſes in Syriam venit.

At *paulo ante obitum* HERODIS venit VARVS in Syriam; uti NORISIVS quidem arbitratur, (d) eo, quod abiens ANTIPATER

(a) In *appar: chronol. ad annales* C. BARONII, n. 127. 136. 140. (b) *Cenotaph. piſan. diſſ. 2. pag. 328.* Qui quidem ſententiam mutaſſe dicitur PAGIO in *crit. baron ad an. C. 14. n. IV. p. 14.* (c) Scribens *lib. IV. adv. Marcionem* pro humanitate J. C. *cap. XIX.* p. 271. „Sed & cenſus conſtat actos ſub AVGVSTO nunc [*tunc*] in Ju„dæa per SENTIVM SATVRNINVM, apud quos [*nempe actores cenſum,*] „genus eius inquirere potuiſſent. (d) *L. cit. p. 314.*

PATER Romam, SATVRNINVM in Palæſtina reliquit, (a) atque idem brevi redux invenit VARVM, (b) quo judice capitis damnatus, quinto die ante quam moreretur HERODES, interfectus eſt. Hoc quidem poſtremum recte vidit apud JOSEPHVM NORISIVS: verum in eo erravit, ut opinor, quod ANTIPATRVM nimis cito rediiſſe Roma putavit. *ANTIPATER enim ſcripſerat amicis Romæ degentibus, rogans, admonerent HERODEM per literas, ut quam primum ſe ad Cæſarem mitteret. Quo facto ANTIPATRVM HERODES miſit cum pretioſiſſimis muneribus & teſtamento, in quo ipſum Antipatrum regem declarabat, aut ſi ille prior vita decederet, HERODEM natum ſibi e* [Mariamne,] *filia ſummi pontificis* [Simonis.] Hæc ita geſta narrat JOSEPHVS originum ſive antiquitatum judaicarum lib. XVII. cap. IV. Igitur jam Romæ degit ANTIPATER. Deinde cap. ſequenti V. commemorat JOSEPHVS idem PHERORÆ, fratris HERODIS, pervicaciam vel conſtantiam, abitum in ſuam provinciam, cum jurejurando de reditione non facienda, & poſtea morbum HERODIS, inde morbum, obitum, & ſepulturam PHERORÆ, omnia paucis. Poſthæc cap. VI. pluribus deſcribit delatores viduæ PHERORÆ ob veneficium, ancillarum quæſtiones & enunciata, voces ANTIPATRI, & inſidias in patrem detectas, veneni parati hiſtoriam omnem, denique indignationem HERODIS in Doridem ANTIPATRI matrem, in Mariamnem matrem HERODIS [junioris] in hunc HERODEM filium, inque ſocerum SIMONEM ſummum ſacerdotem, iram in ANTIPATRVM: præterea hujus ſimulationes, literas, amicitias, & expenſa Romæ pro variis muneribus *talenta ducenta*, h. e. ducenta millia noſtrorum imperialium. Hinc cap. VII. ſubſequente epiſtolas HERODIS avocatorias, ANTIPATRI reditum, judicium, & vincula, perſequitur copioſe: Ac præterea cap. VIII. morbum HERODIS ingraveſcentem & deſperatum: tandem cap. IX. ANTIPATRI exitium quinque ante mortem HERODIS

(a) JOSEPH. *XVII. 4.* JOSEPH. L. XVII, 7.

RODIS diebus. Quæ qui consideret, ac præsertim, quæ cap. V. perstricta sunt a IOSEPHO potius, quam narrata, de PHERORA omnia, haut facile adducetur, ut credat, isthæc universa spatio mensium aliquot fuisse peracta, uti quidam opinantur. (a)

Imo *septem mensium* intervallo gesta esse confirmant ex ipso IOSEPHO. (b) *Mirum autem est*, inquit IOSEPHVS, *quod cum per septem menses ante ejus* [ANTIPATRI] *reditum tam multa contra eum in Judaa mota fuissent, nihil eorum ad ejus notitiam perlatum fuerit. In causa erat partim diligens itinerum observatio & viarum custodia, partim populare hominum in* ANTIPATRVM *odium. Nemo enim erat, qui suo periculo illius incolumitatem vellet quaerere.* Ergo aiunt, *septem menses* ANTIPATER egit Romæ, post septem menses rediit Hierosolymam. Intra hos 7. menses præsidum Syriæ facta mutatio est, SATVRNINO VARVS successit. Verum, quis non videt, *septem* illos *menses* non satis attente considerari; & finem quidem eorum recte collocari in reditu ANTIPATRI, initium autem minus recte in ejus profectione romana? Enimvero JOSEPHVS non modo toto *cap. V.* narrat, quæ ante illos septem menses acta fuerant inter HERODEM & PHERORAM, tum morbum utriusque, atque adeo mortem alterius cum exequiis: verum etiam principium mensium illorum septem his verbis demonstravit: *Ea res* [mors PHERORÆ, exequiæ, luctusque ierosolymitanus,] ANTIPATRO, *quamvis Romam profecto, malorum fuit initium.* Ecce nobis initium horum mensium, septimestrium nempe malorum, inquisitionis videlicet, & quæ eam consecuta sunt, per septem menses in ANTIPATRVM, omnium prorsus ignarum, conflata. Non igitur septem menses tantum inter profectionem & reditum ANTIPATRI, quod credidit eminentissimus NORISIVS, sed inter PHERORÆ funus & redi-

(a) Contra PAGIVS *appar. chronol. in crit. annal.* BARONII, *num.* 137. *biennium* aut *triennium* Romæ egisse censet ANTIPATRVM.
(b) *Antiqq. XVII. 6. fin.*

ditum ANTIPATRI, JOSEPHVS interposuit. Qui fecit quidem eodem ipso in sermone *profectionis* ANTIPATRI mentionem: verum non ideo fecit, quod nupera esset, & cum initio malorum conjuncta, sed quod frustra quæsita fuisset malorum futurorum medela; DEO *tandem reposcente ab eo pœnas fratricidii*, prouti mox subjicit.

Ergo saltem mala instabant, mala instantia fugiebat ANTIPATER, ideoque profectus domo est, inquiat NORISIVS. Quin etiam hoc urgeat fortassis, quod manifestis verbis IOSEPHVS initio cap. IV. indicarit causam profectionis ANTIPATRI, nempe quia *patrem* jam *suspectum haberet, metueretque, ne ulterius serpendo ejus odia, ad se quoque pervenirent*. Quare initium malorum ANTIPATRI cum itinere ejusdem romano connectendum videatur. Quo accedat, quod literas ANTIPATER de morte PHERORAE Tarenti accepit, in itinere jam constitutus. Hæc aliquis pro NORISIO forte afferat. At vere quidem ANTIPATER in itinere has de PHERORA literas accepit Tarenti, perinde ut alteras a patre in Cilicia: non autem in itinere eo, quo Romam petebat, sed quo Ierosolymam revertebatur Roma. Quod quidem narratio IOSEPHI ad oculum declarat: facitque etiam manifestum, cur de obitu PHERORAE, qui ante septem menses contigerat, literæ prius ad ANTIPATRVM non venerint, nempe propter viarum custodiam, & commune odium. Quod autem conscientia animi ANTIPATRO mala pridem merita ante denunciavit, quam proficisceretur, nihil mirum. Nec tamen necesse est, ut quæ ipse meruisse se sciebat, & metuebat, ea statim evenisse credamus: maxime, cum & profectio ejus romana, & ea, quæ IOSEPHVS cap. V. narrat, ac præterea menses septem intercesserint.

Hæc latius disputavimus contra illustriss. NORISIVM, quippe cujus ratio tota septem illis mensibus nititur. Quorum recta interpretatio facit, ut jam causa nulla appareat, cur VARI adventus in Syriam maturetur, & annus Christi amplius, quam par est, retractetur.

§. II.

§. II.

Atque hæc eadem ut dilucidius intelligantur, lubet ſeriem præſidum Syriæ ſubjungere, (a) a JVLII CAESARIS temporibus qui fuerunt usque ad excidium ieroſolymitanum; addere etiam annos urbis, & nomina imperatorum, a quibus miſſi ſunt.

Igitur præſes Syriæ fuit anno U. C.	707.	*Sextus Julius Cæſar.* (b)
	708.	*Q. Cæcilius Baſſus,* (c) &
contra eum, a.	709.	*Q. Cornificius:*
	710.	*L. Statius Murcus.* & *Q. Marcius Criſpus.*
anno eod:	710.	*P. Corn. Dolabella.*
	711.	*Casſius Longinus.*
	712.	*Lucius Casſius.* (d)
Legati ANTONII IIIviri, qui orientem erat ſortitus, ann.	713.	*L. Decidius Saxa.* (e)
	714.	*P. Ventidius.* (f)
	716.	*C. Soſius.* (g)
	718.	*L. Munatius Plancus.*
	723.	*L. Calpurnius Bibulus.*

anno

(a) A BARONIO inchoatam, emendatam a CASAVBONO, perfectam a NORISIO in *cenotaph. piſan. diſſ. 2.*

(b) I. CÆSARIS *amicus & neceſſarius*, HIRTIO: cui add. DION. XLVII, & IOSEPH. *XIV. 12.*

(c) Per fraudem. Quare contra eum tres ſeqq. miſſi ſunt proconſules. IOS. XIV, 17.

(d) Nepos ſuperioris, e fratre CAIO.

(e) PIGHIVS *annal. rom. lib. XIV.* anno urbis 705. SAXAM ex prætore Syriam obtinuiſſe ſcribit, perperam: NORISIVS annum 713. demonſtrat.

(f) IOS. XIV, 26.

(g) IOS. XIV, 27.

anno v. c.	724.	*Q. Didius.* (a)
	729.	*Varro.* (b)
	(731.	*M. Vipsanius Agrippa.* (c)
	733.	*M. Tullius Cic. fil.* (d)
	738.	*Agrippa iterum.* (e)
AVGVSTI Cæsaris.	741.	*M. Titius.*
	745.	*C. Sentius Saturninus.* (f)
	748.	*P. Quintilius Varus.* (a)
		deest unus, (b) & item alter.
	760.	*P. Sulpicius Quirinus.* (c)
	765.	*Q. Cæcilius Metellus Silanus creticus*
anno v. c.	770.	*Cn. Calpurnius Piso.* (d)
legati TIBERII	772.	*Cn. Sentius Saturninus.*
	775.	*L. Pomponius Flaccus.* (e)
	788.	*L. Vitellius.* (f)
legatus CAII calig.	792.	*P. Petronius.*

(a) Et *M. Valerius Messala*, extraordinarius.

(b) Quem *Varronem* confudit BARONIVS *Quintilio Varo*, deceptus interpretatione IOSEPHI lat. *XV, 13. antiquitat.*

(c) Extraordinarius videtur & toti orienti præpositus. IOS. *l. cit. & XVI, 6.*

(d) Docuit primus NORISIVS, in *cenotaph. pisan.*

(e) Male BARONIVS *Augustum* inter præsides Syriæ ponit a. u. 734. & seqq. ad 738. v. PAG. *appar.* n. 124. Et ipse *Agrippa* iterum extraordinarius videtur NORIS. p. 297.

(f) Procurator Iudææ *Volumnius.* IOS. XVI, 13. 17. XVII, 1.

(a) *Avarus.* vid. VELLEI. *L. II.* c. 117. Procurator Iudææ, *Sabinus.* IOS. XVII, 11, 12.

(b) NORISIO l. c. p. & PAGIO in *appar.* n. 133. desideratus.

(c) *Prædives*; SVETON. in TIBER. *c. 49.* Procurator Iudææ, *Coponius*, præfectus turmæ equitum. IOS. *XIIX, 1.*

(d) Sub GERMANICO ad res orientis componendas misso. A quo statim povincia (submotus fuit.

(e) IOS. XV, 14. Qui a. 786 in provincia obiit.

(f) TAC. *Annal. VI, 32.* Procurator Iudææ *Pontius Pilatus. Autor nominis ejus* [Christiani] CHRISTVS, *qui* TIBERIO *imperitante per procuratorem* PONTIVM PILATVM *supplicio affectus erat*; *inquit de I. C.* TACITVS *annal. XV, 44.*

anno U. C. legati CLAUDII.	795.	*Vibius Marsus.*
	801.	*C. Cassius Longinus. I.C.* (a)
	803.	*T. Numidius* (b) *Quadratus.*
NERONIS	813.	*Domitius Corbulo.* (c)
	816.	*Cincius.* dubius.
	818.	*C. Cestius.* (d)
	820.	*P. Licinius Mucianus.*

De his præsidibus etiam memoranda quædam videntur: (1) fuisse fere *consulares* viros, h. e. patricios, qui consulatum gesserant Romæ, post alios magistratus, v. c. quæsturam, ædilitatem, præturam, aut sacerdotia: TIBERIVM imp. primum viros *equestris* dignitatis etiam pæfecisse provinciis: Denique reliquos impp. ingenuos nonnullos, atque adeo libertos. (2) Cæsari Augusto fuisse id consilii datum a Mæcenate, ne *statim a consulatu* digressos in provincias mitteret, deinde, ne quenquam plus *quinque annis* esse in provincia sineret, nec quenquam minus *tribus* annis. (a) Id moris sequentibus temporibus ab imperatoribus non fuisse conservatum, præsides vel ad decennium in provincia relictos. (3) *Antiochiæ*, ad Orontem fl. sedem quasi regiam habuisse præsides, quod ea urbs esset Syriæ caput. (b)

§. III.

(a) Procurator Judææ *Cuspius Fadus.* JOS. XV, 14.

(b) Vel *Vinidius*, ut NORISIVS maluit, *p. 333. seq. l. cit.* Vel. *Umidius*; ut SPANHEM. vol. 2. qui nullam esse gentem *Numidiam* inter rom. ostendit.

(c) Imperator h. e. militiae praefectus, cum quo forte venit *Cincius*, judex: Vel hic Cincius est idem *Cestius*, qui sequitur præses.

(d) Procurator Judææ, *Gessius Florus*: imperator autem *Vespasianus*, & postea *Titus.*

(a) DIO lib. 52. Itaque cum pacem fecissent triumviri, SEXTO POMPEIO *quinquennale* imperium in Siciliam, Sardiniam & Achajam obtigit, uti autor est idem DIO. *lib. 48.*

(b) JOSEPH. XVII, 7. *Quo facto, surgens* [VARVS] *abiit e concilio* [ierosolymitano in causa ANTIPATRI] & *sequenti die Antiochiam profe-*

ctus

§. III.

Porro hac serie præsidum infirmari videtur ille, quem nummi hactenus collustrarunt, annus I. C. natalis. Quippe cum in ea serie QUIRINUS anno urbis 760. demum legatur; qui quidem nascente CHRISTO fuerit præses Syriæ, D. LUCA (a) autore. Huic dubitationi quidam (b) ita occurrunt, ut LVCAM hoc sensisse velint, fuisse illam descriptionem *priorem altera*, quæ præside QUIRINIO postea evenerit. Neque enim in Iudæa, quam HERODES *jure regio* teneret, nascente CHRITO, præsidibus Syriæ aliquid negotii competiisse censent. (c) Sed hi iidem fateri coguntur, regnum HERODIS fuisse precarium, AUGUSTI Cæsaris *beneficium*: ac deinde meminerunt, quod JOSEPHUS scripsit XVII, 3. *judaos regi & cæsari jurasse*, (d) item quod judicia filiorum HERODES non modo cum Cæsare communicaverit, (e) sed præsides quoque Syriæ, eorumque filios, ac procuratores, in consilium vocaverit, (f) coram illis accusationem instituerit, illorum sententiam rogaverit, atque ratam habuerit. (g) Imo quod HERODES ipse apud præsidem Syriæ, (h) uti & postea

B 2 apud

ctus est, ubi plurimum solebat degere, quod illic esset Syrorum regia. STRABO lib. XVI. p. 750. *Urbs autem hæc* [Antiochia] *metropolis est Syriæ, & iis, qui regioni imperant, regia est ibi extructa.*

(a) LUC. II, 2. (b) SAM. BASNAG. *annal. polit. ecclesiast.* anno ante D. 5. vol. I. p. 109.

(c) Id. l. cit. p. 120. *Primum falsum est, sive a* QVIRINO, *sive a* SATVRNINO *descriptionem actam esse, quia* HERODES *jure regio Iudæam administrabat in qua Syriæ præsides nullo officio fungebantur.*

(d) *Nam cum tota gens judæorum fidem suam jurejurando obligasset regi* & CAESARI, inquit IOSEPHVS, XVII, 3.

(e) IOS. *XVII*, 7. describit, quomodo HERODES filios ALEXANDRVM & ARISTOBVLVM apud Cæsarem accusaverit.

(f) IOS. de bello, I, 17. & antiqu. XVI, 17. de ALEXANDRO & ARISTOBVLO, filiis HERODIS narrat, quos SATVRNINVS judicavit Beryti.

(g) IOS. XVII, 7. de ANTIPATRO, cujus judicio VARVS præfuit, Hierosolymis.

(h) Atque adeo orientis, AGRIPPAM. IOS. XV, 13.

apud Cæſarem, accuſatus ſit. (a) Quæ omnia eo ſpectant, ut præſides Syriæ aliquo officio in Iudæa, etiam HERODE rege, functi intelligantur. Ac mihi quidem ex IOSEPHO ſic perſuaſum eſt, perinde atque HERODEM Cæſar præſidibus Syriæ quaſi adjunxerat, ut ſumma negotia cum HERODE communicarent; (b) ita HERODEM viciſſim nullam rem majoris momenti absque præſidibus egiſſe. (c) Itaque ſic cenſeo, P. SVLP. QVIRINVM, qui a. u. 742. cum M. VAL. MESSALA BARBATÆ conſul fuerat, & nuper bellum contra *homonadenſes* Ciliciæ aſperæ vicinos feliciter confecerat, cum Cæſari AVGVSTO charus eſſet inprimis, (d) ab eo miſſum fuiſſe in Syriam ad cenſum, quem inſtituerat ſecundum, peragendum. Etenim AVGVSTVS ipſe ita ſcripſit in *breviario*, quod etiamnum in lapide ancyrano legitur, de cenſu ſecundo: (e) *Cum nuper luſtrum ſolus* (f) *feci, CENSORINO & ASINIO coſſ. quo luſtro cenſa ſunt civium romanorum capita, quadragiens centum millia, & ducenta triginta tria.* Præcedit in eodem breviario cenſus AVGVSTI primus, conſulatu ipſius ſexto actus; & ſequitur tertius, quem *nuperrimum* (g) vocavit, ac merito ille quidem, quia eodem anno mortuus eſt. Jam quod ad cenſum ſecundum attinet, qui eſt inter utrumque medius, hunc CENSORINO & ASINIO conſulibus actum ſignificat AVGVSTVS. Conſules ii fuerunt anno urbis 746. [745.] quo eodem anno SATVRNINVS præſes

(a) IOS. I. cit. & XVI. 16. (b) Ios. XV, 13. *Cæſar* [AVGVSTVS] *adjunxit eum* [HERODEM] *rectoribus Syriæ, mandavitque ut omnia ex ejus ſententia fierent.*

(c) Cujuſmodi reges *inſervientium* nomine cenſuit TACITVS. De quibus SPANHEM. *Diſſ. VIII. de præſt. & uſ. num §. IX. n. 4. p. 525. ſeq.*

(d) Quippe qui eundem poſtea etiam CAIO, nepoti dilectiſſimo, tunc *Armeniam obtinenti, rectorem dederit.* quod TAC. *annal. 3.* ſcripſit.

(e) Ap. GRVTER. *inſcription.* p. 230. n. 2.

(f) Hoc eſt, ſine collega Cenſore: ut prius collega M. AGRIPPA, & poſtea TIBERIO.

(g) *Cum nuperrime luſtrum conlega* TIBERIO, SEXTO POMPEIO & SEXTO APVLEIO *coſs. &c.*

ses in Syriam venit, (a) & tertio anno post, J. C. natus perhibetur, AVGVSTO XII. & L. CORNELIO SYLLA conss. anno videlicet urbis 749. [748.] Itaque census indictus ille quidem CENSORINO & ASINIO coss. etiam tertio post anno actus, nec peractus forte est: perinde, ut tertius AVGVSTI census, coss. LEPIDO & TAVRO decretus, (b) tertio demum anno actus, aut peractus est, duobus SEXT S coss. prouti quidem ipse AVGVSTVS literis prodidit, & in lapide scriptum est. Census igitur secundus cum ageretur, & VARVS interea SATVRNINO esset in Syriam submissus, hujus avaritiam veritus CÆSAR QVIRINVM censui istic peragendo præfecit, & e Cilicia vicina in Syriam ac Palæstinam misit. Nam quanquam CLAVDIVS imp. testatur oratione pro gallis civitate donandis (c) *nihil, ultra quam ut publicæ notæ sint facultates* imperii, *exquiri*, tamen idem *opus censitionis arduum* vocat, præsertim *novum* & *inadsvetum* populo, *quod opus quam arduum sit, nimis magno experimento nunc cognoscant.* Itaque ad censum primum etiam sine tributo in Judæa peragendum, opus fuisse rectoris extraordinarii autoritate, sentio, maxime cum præses ordinarius esset de avaritia suspectus, & Judæi ad seditiones inprimis proclives; Id quod postera tempora maxime declararunt, ac periculo suo tandem didicit ipse idem QVIRINVS, cum relegato ARCHELAO ad census agendos in Judæam venisset. Tum enim primum svadente IOASARO pontifice quieti fuerunt Judæi, postea vero quam IVDAS gaulanites extitit, qui *censum nihil aliud, quam mani-*

(a) NORIS. *cenotaph. pisan. diss. 2. p. 233.* PAG. *appar. n. 126.*

(b) Uti SVETON. in TIBER. cap. 21. & DIO, *lib. 56.*, autores sunt.

(c) Apud. GRVTER. *in inscription. p. 502. fin. Illi* [Galli] *patri meo* DRVSO *Germaniam subigenti tutam quiete sua securamque a tergo pacem præstiterunt, & quidem cum ad census novo tum opere & inadsueto Galliis ad bellum avocatus esset, quod opus quam arduum sit nobis, nunc cum maxime, quamvis nihil ultra, quam ut publice notæ sunt facultates nostræ, exquiratur, nimis magno experimento cgnoscimus.* Hæc CLAVDIVS imperator.

manifestam servitutis professionem esse dictitaret, & populum ad tuendam libertatem adhortaretur, seditionem moverunt, initium omnium calamitatum, atque ipsius adeo exilii: prouti IOSEPHVS idoneus sane autor est. (a) Quod autem id argumento esse velit quis, eandem hanc ipsam descriptionem, quam IOSEPHVS commemoravit, primam fuisse, cum Judæi *ægre ferrent mentionem descriptionis*, quasi novæ rei: Id quidem vim non habet: Cum ista descriptio altera seditionem moverit, non eo, quod prima esset, sed quod aliam plane faciem ostenderet, quasi nempe ARCHELAO Judæorum principe relegato, ac bonis ejus divenditis, fiscoque addictis, cum QVIRINVS facultates etiam Judæorum percensere inciperet, jam nihil aliud restaret, quam ut omnino servi fierent Judæi. Contra atque præsente HERODE rege, & amico romanorum, sperare poterant. Quem si forte quidam etiam odio habebant, ut nimium romanis amicum, tamen metuere debebant ob potentiam, atque ideo quiescere. (b)

§. IV.

Metuit quidem SAM. BASNAGIVS v. c. ubi adversus hunc censum disputat, (a) ne, si CYRENIVS admittatur hoc tempore Syriæ præfectus, *vel ordinarii rectoris extincta præfectura* putetur, *vel in Duumviratum mutata*, quorum *neutrum admittat historia, romanorumve consuetudo.* Sed idem sciebat, ex consvetudine romanorum, census fere fuisse ab extraordinariis magistratibus, non ab

(a) *Antiqq. XIIX. 1.*

(b) IOS. *XVII, 12. Tantus tum furor per totam gentem grassabatur, eo quod proprium regem non haberet*, &c. de temporibus scripsit ARCHELAI.

(a) *Anual. polit. eccles. ad ann. ant. D. 5. p. 109. vol. I. Nulla quidem ratione, cum* MARIA *describenda Betlehemum petiit,* CYRENIVS *Syriæ præses scribi potuit. Non ordinario jure, quod ad* SATVRNINVM *vel* VARVM *pertinebat, non extraordinario, quia vel ordinarii rectoris extincta præfectura fuisset, vel in duumviratum mutata: neutrum v. admittit hostoria, romanorum ve consuetudo.*

ab ordinariis actos, a consularibus videl. non a consulibus : (a) Uti AVGVSTVS cum collega TIBERIO tertium censum egit, cum neuter consul esset: (b) Et *GERMANICVS agendo Galliarum censui intentus*, anno eodem urbis, nempe 767. fuit, quod *regimen summæ rei penes GERMANICVM* esset, ut TACITVS (c) inquit; *Igitur huc intendit, missis ad censum Galliarum P. VITELLIO & CANTIO*, (d) *GERMANICVS*, non sane tunc præses Galliarum ordinarius, sed summo cum imperio ad census in Galliis agendos ab AVGVSTO missus. Quo ex loco hoc quoque discimus, nempe census non fuisse uno anno peractos: quod & supra animadvertimus, cum anno urbis 769. GERMANICVS censum egerit in Galliis, qui anno urbis 767. Romæ ab AVGVSTO & TIBERIO erat inchoatus. Quinimo solvitur hoc eodem loco difficilis nodus, quem aliquando nobis ipsi strinximus; cum traditum legeremus *lustrum* fuisse *censu peracto* demum factum a censoribus; & inscriptionem cerneremus ad a. urbis 712. L. MVNATIO PLANCO ac M. ÆMILIO LEPIDO coss. positam. (e)

. . . ANTONIVS P. SVLPICIVS. CENS. LVSTR. N. F. hoc est. *L. Antonius, Sulpicius, censores, lustrum non fecerunt.* Nam si lustrum non fuit nisi censu peracto factum, & lustri secundi fecit AVGVSTVS in lapide mentionem, nimirum hoc significavit, censum secundum plane fuisse isto anno, & illis coss. peractum. Itaque post illum annum & istos conss. census agi in Judæa per QVIRINVM non potuit, quod quidem antea nobis visum fuerat, cum censum anno urbis 746. cœptum, anno 749. in Judæa actum fuisse scriberemus. Nempe TACITVS dubium plane sustulit, cum GERMANICVM ostendit in Galliis censum agentem etiam anno urbis 769 cum

(a) PAG. appar. p. 31.
(b) Videl. a. u. 767. *Duobus* SEXTIS coss. quo de censu est in lapide ancyrano *ap.* GRVTER *p.* 230.
(c) *Lib. I. annal. cap.* 31.
(d) TACIT. *Lib.* 2. *annal. in.* cap. 6. ad ann. u. 769.
(e) Apud GRVTER. *pag.* 298.

cum anno 767. jam AVGVSTVS lustrum a se factum dixisset. Sed ad BASNAGIVM revertamur, qui vel extinctam vult ordinarii præsidis præfecturam, vel in duumviratum mutatam, si extraordinarius accedat. Verum neutro quidem opus est. Manet enim legati ordinarii potestas, etiamsi extra ordinem alter mittatur: Atque eodem modo manet præses ordinarius in provincia cum potestate judicandi & puniendi, etiamsi alius adveniat belli gerendi vel census agendi cum potestate suprema atque extraordinaria. Cui ordinarius æquiparare se non debet, quod esset *duumviratum* affectare; sed locum concedere debet: prout hodie quoque legatus ordinarius extraordinario cedit. Porro hoc inter utrumque interest, quod extraordinarius uni provinciæ non addicitur: ordinarius in unam provinciam, quasi propriam & suam sedem, sive majorem sive minorem illam, mittitur. Quomodo aliquos *Syriæ* præsides, aliquos *Syriæ & Ciliciæ* simul præfuisse reperimus. (a) Tum idem ad duo munia, & ad censum agendum, & ad gerendum bellum, mitti potest. Uti CLAVDIVS imp. memorat, (b) patrem DRVSVM, legatum in Gallias, *ad census - - - - ad bellum avocatum esse.* Denique ut planum faciamus, fuisse id romanis familiare, ut duos quandoque vel plures in eadem provincia haberent cum potestate ordinaria alterum, alterum cum extraordinaria, juvat pauca ex multis exempla afferre.

I. Cum BASSVS per fraudem illecto & occiso tandem SEXTO IVL. CÆSARE provincia Syria potitus esset, ivit adversus eum non modo ANTISTIVS VETVS quæstor sponte sua, verum etiam Q. CORNIFICIVS Ciliciæ tum præses, in eam missus est; item Q. MARCIVS CRISPVS e Bithynia: Omitto STATIVM MVRCVM, (c) qui etiam ante CRISPVM in eandem provinciam missus fuerat. Nimirum pro ratione necessitatis præses unus, vel plures erant in provincia cum ordina-

(a) C. SOSIVS *Syriæ & Ciliciæ præpositus*, est ap. DION.

(b) *Orat. pro gallis*, superius laudata.

(c) Quem falsis criminationibus Menæ & Menecratis credens SEX. POMPEIVS postea occidit in Sicilia, uti Vellej. lib. II. cap. 77. retulit.

ordinario & cum extraordinario imperio, cum paucioribus, vel pluribus militibus. Ita præside VARO *legiones tres* in universa Syria erant, h. e. ad 20. millia (a) militum, quibus assumtis VARVS auxilium ferebat SABINO, procuratori, Hierosolymis obsesso: (b) CAIVS SOSIVS, VENTIDII successor, *legiones undecim* habebat, quibus ANTIGONVM regem & parthos ejus auxiliatores profligabat. Procuratores interdum militibus quoque præerant; uti QVIRINO præside, COPONIVS procurator, *turmæ equitum*. (c)

II. Cum Q. DIDIVS SAXA Syriæ præesset, missus M. VALERIVS MESSALA CORVINVS cum imperio extraordinario in Syriam, gladiatores ex suburbio antiocheno dimisit, anno urbis 724. (d)

III. Iterum anno urbis 813. *Syria executio* [h. e. jurisdictio civilis] *CINCIO, copiæ militares CORBVLONI permissæ* sunt; prouti scripsit Tacitus. (e)

IV. M. AGRIPPA, gener AVGVSTI, toti orienti præpositus, itemque postea CAIVS CÆSAR, AVGVSTI nepos, suos legatos, vel *prolegatos*, habuere in Syria præsides. (f) Denique CÆSAR GERMANICVS a TIBERIO missus summo cum imperio in orientem, CN. PISONEM habuit Syriæ præsidem, a quo injuria prohibitus militem scribere, forte etiam interfectus veneno est. (g)

V. C. CESTIO, ac deinceps P. LICINIO MVCIANO, Syriæ præsidentibus, bellum contra iudæos mandatum VESPASIANO ac tandem TITO est.

VI. Alio proprætore in regno Galatiæ, &c. quod AMYNTÆ fuerat, QVIRINVS tamen ad bellum in *homonadenses* gerendum missus ab AVGVSTO fuit anno urbis 748. (h) De quo quidem regno AMYNTÆ, hujusque regis expeditione in homonadenses, ac morte, pri-

(a) Vid. Veget. de re milit. l. 12. c. 6. (b) Ios. XVII. 12. (c) Ios. XVIII. 1. (d) Vid. NORIS. *cenotaph. pisan. p. 288. seq.* (e) Annal. lib. XV. ad a. u. 716. (f) NORIS. *l. c. pag. 311.* (g) TACIT. *annal. II, 69.* IOS. *XIIX, 3.* (h) Vid. NORIS. l. cit. *p. 320.*

primoque dein LOLLIO propraetore romano, ad a. u. 729. libenter lego, quæ STRABO perſcripſit lib. XII. (i)

His exemplis edocemur, minime novum putare, duos eſſe in eadem provincia cum imperio, non modo in turbata, ſed etiam pacata in provincia, ubi res & uſus poſtulet.

§. V.

Nec vero non conſentaneum erit huic diſputationi, ſingularia quædam de nonnullis præſidibus Syriæ ſeorſim etiam apponere, præſertim de iis, quibus eſt aliquid cum hiſtoria J. C. conjunctum. Primum SATVRNINVS memoratur (a) Syriæ præſes fuiſſe J. C. naſcente. Js C. SENTIVS SATVRNINVS fuit a. u. 735. [734.] conſul Romæ, primum ſolus, deinde cum collega Q. LVCRETIO VESPILLONE; filius conſul fuit a. u. 757. [756.] (b) cum SEXTO ÆLIO CATO. Pater in conſulatu ſolus ea geſſit, quæ virum ſumma integritate, virtute, & gravitate oſtenderent: (c) filius cum Ælio Cato, legem *Æliam Sentiam* tulit, de teſtamentis ac manumiſſionibus: cujus & DIO hiſtoricus, item VLPIANVS, & complures *JCti* faciunt mentionem. (d) A. urbis 714. pater ex fœdere triumvirali, una cum aliis viris præclaris, qui proſcripti fuerant, reip. redditus eſt SEXTI POMPEII beneficio, qui hunc reditum pactus fuerat. (e) A. U. 754. [753.] bello germanico exorto, legatus AVGVSTI in Germania

(i) NORISIVS enucleavit l. cit. *p. 210. 319. 320.*

(a) TERTVLLIANO, lib. IV. in Marcion. cap. 19. quem ante confutavimus.

(b) Hic alter eſt SATVRNINVS ſuperioris *filius*. Scribitur quidem uterque eodem modo in faſtis: *C. Sentius, C. f. C. n. Saturninus*, ſed tempora diſtant, & abeſt a faſtis illud *iterum*, vel II. cos.

(c) De quibus VELLEI. lib. II. c. 92. *Præclarum excellentis viri factum, C. Sentii Saturnini, circa ea tempora conſulis. Aberat in ordinandis Aſiæ orientiſque rebus Cæſar, cet.*

(d) NORISIVS item eruditiſſime in *cenot. piſan. diſſ. 3. p. 422.* & ſeq. ubi hunc ſuperioris SATVRNINI *filium* eſſe oſtendit, p. 421.

(e) VELLEI. lib. II. c. 77. *Id. unum* [Pompejus] *ſalutare adventu ſuo patriæ*

mania fuit, posteaque a. 757. TIBERII prolegatus, (f) quod ubi narrat VELLEIVS, *virum multiplicem virtutibus, navum, agilem, providum, militariumque officiorum patientem ac peritum pariter, denique in otio liberalem ac lautum, splendidum ac hilarem* describit: (g) porro militarem ejus expeditionem in MARIBODVVM, (h) TIBERIO duce atque imperatore, commemorat.

A. U. 745. [744.] legatus in Syriam venit (i) SATVRNINVS, atque eodem anno in filios HERODIS ALEXANDRVM & ARISTOBVLVM a patre capitis accusatos, Beryti in judicio sedens mitem sententiam dixit, dignam videlicet sua existimatione ac virtute, (k) quam merito etiam collaudat IOSEPHVS, (l) atque alia præterea ejus juste præclareque facta subinde recitat.

Filius quo anno triumvir monetalis fuerit Romæ, non liquet. Extat hodieque (m) nummus ejus cum epigraphe. C. SENTII SATVRNINI, III*viri* A. A. A. F. F. hoc est *Triumviri, auro, argento, ære, flando, feriundo.* Extat item alius nummus (n) ex ære mediocri, caput Jovis laureatum exhibens, in altera vero pagina genius urbis sedet velato capite, quod est urbis primariæ signum, dextra spicas tenet, fluvio [Oronte] ad pedes emergente, qui urbis [Antiochiæ] situm indicat. Inscriptus est: επι Σατορνινου ουλο - - - ελ. *sub Saturnino Volusio,* (o) *anno XXXV.* Qui annus cum in SENTIVM SATVRNINVM Syriæ præsidem non conveniat, est enim urbis 759. competat autem in eum, qui in-

C 2

patriæ attulit, quod omnibus proscriptis, aliis, qui ad eum ex diversis causis fugerant, reditum salutemque pactus est: quæ res & alios clariss. viros, & Neronem Claudium, & M. Silanum, Sentiumque Saturninum & Aruntium ac Titium restituit reip.

(f) *Legatus pro prætore* dicitur NORIS. *p. 421.* (g) *Lib. II. c. 105.*
(h) *Lib. II. c. 109.* (i) IOSEPH. *XVI, 17.* (k) *De bello I, 17.*
(l) & *Antiqq. XVI, 17.* (m) Apud. NORIS. *cenot. pis. p. 424.*
(n) Apud. HARDVINVM in *chronol. V. T. p. 624. op. sel.* e museo RIGORDI. (o) *Volusio,* placet Harduino, nobis VOLVMNIO.

inter VARVM & QVIRINVM interceſſit, doctiſſimis viris (p) antehac incognitus, faciet illis poſthac negotium, nempe viſuris, ſitne alicui e *tribus filiis*, quos SATVRNINVS noſter ſecum in Syria habuit, vel VOLVMNIO procuratori ejusdem, vel utrique forte tribuendus. (q) Annus certe XXXV. antiochenorum, 759. urbis Romæ, ut dixi, in illud tempus competit, quo jam pridem (r) QVINTILIVS VARVS præſes Syriæ provincia deceſſerat, nec dum SVLPICIVS QVIRINVS eam ingreſſus erat. Tametſi enim nomen *antiochenorum* nummus non præfert, tamen imago indicat. Quod autem HARDVINVS (s) opinatus eſt, IOSEPHVM ex his elementis, ΟΥΟΛΟ - - quæ vidiſſet, VOLVMNIVM ſibi confinxiſſe, id quidem nihil eſt. Habuit enim IOSEPHVS NICOLAI *damaſceni*, advocati & hiſtorici HERODIS, commentaria, habuit præſidia ad hiſtoriam ſcribendam ampliſſima, ſic ut fictionibus temerariis, quibus HARDVINVS nimium delectatur, ille minime quidem indiguerit. Atque ipſe HARDVINVS vir diligentiſſimus hoc tempore duos nobis VOLVSIOS SATVRNINOS ſane demonſtravit, (t) alterum præfectum urbi Romæ, conſulem alterum; *Antiochiæ* autem urbis præfectum & præſidem Syriæ, quem nummus quidem ſignificat, & eruditi magnopere quærunt, nullum HARDVINVS demonſtravit.

Idem SATVRNINVS, filius ejusdem nominis, *conſul* in cenotaphio

(p) NORISIO *in cenot. piſ. diſſ. 2. cap. 16. §. 11. p. 311.* ſcribenti: *Quare alius inter utrumque præſes Syriæ ponendus eſt, quem Ioſephus nominavit, ac nobis nuſquam ab aliis ſcriptoribus indicatur.* Cui add. PAG. *in appar. n. 145. pag. 37.*

(q) Nam de alio *Cn. Sentio Saturnino*, qui a. V. 772. Syriam obtinuit, hic ne cogitandum quidem eſt, ob temporis differentiam.

(r) Ne dicam C. SENT. SATVRNINVS, qui præceſſit VARVM.

(s) *In chronol. V. T. p. 624. oper. ſelector.* Literas ουολο - - ex quibus VOLVMNIVM finxit IOSEPHVS, nos VOLVSIVM exponimus: quoniam ap. PLIN. circa hæc tempora geminus occurrit VOLVSIVS SATVRNINVS, alter præfectus urbi, & conſul alter.

(t) E PLIN. lib. *VII. ſect. 12.*

taphio CAII CÆSARIS pisano inscriptus, cum ÆLIO CATO collega est, sub finem hoc modo: CONSCRIPTIS. QVÆ. AD. IV. NONAS. APRILES. QVÆ. ÆLIO. SEX. CATO. C. SENTIO. SATVRNINO. COS. FVERVNT. FACTA. ACTA. CONSTITVTA. SVNT. PER. CONSENSVM. OMNIVM. ORDINVM. EA. OMNIA. ITA. FIERI. AGI. HABERI. OBSERVARIQVE. AB. L. TITIO. A. F. ET T. ALLIO. T. F. RVFO. IIVIRIS, &c. Nempe a. u. 757. quo tempore pater legatus pro prætore in Germania bellum gerebat, ornamenta triumphalia merebatur, (u) eodem hic filius consulatum Romæ gerebat, prouti pulchre animadvertit NORISIVS: (x) qui idem in fine hujus dissertationis (y) duos nummos posuit, quorum in altero est: C. SENTIVS C. F. SATVRNINVS IIIVIR A. A. A. F. F. C. in altero: SEX. ÆLIVS CATVS IIIVIR A. A. A. F. F. utrumque ad hos consules, quos modo dixerat, CATVM nempe & SATVRNINVM retulit, & post a. u. 731. cusos esse ostendit, cum hi monetæ cudendae præfecti essent. Sed ut ad patrem SATVRNINVM nostrum redeamus, hunc Cæsar AVGVSTVS summis honoribus decoravit, sacerdotio, consulatu, & maximarum provinciarum, *Syriæ*, ac *Germaniæ*, præfecturis ornavit. De consulatu & provinciis ante diximus. De sacerdotio, quod in collegium XV. virorum cooptatus gessit, inscriptio est, anno urbis 737. composita, hujusmodi:

LVDI. SAECVLARES. QVINCT.
IMP. CÆSARE. DIVI. F. AVGVSTO
C. SENTIO. C. F. C. N. SATVRNINO
M. CLAVDIO. M. F. M. N. MARCELLO
M. FVFIO. M. F. STRIGONE MAG. XV. VIR
D. LELIO D. F. D. N. BALBO.

Quæ quidem inscriptio SATVRNINVM inter magistros quindecim-virorum ludis secularibus post AVGVSTVM præsedisse significat.

(u) Quæ & accepit *ob rem bello germanico feliciter gestam*: uti autor DIO est, lib. 55.
(x) *Cenotaph. pisan. diss. 3. cap. 9, pag. 421.*
(y) *Diss. 3. cap. 9. pag. 424.*

ficat. (z) Quas ob res non immerito IOSEPHVS, ubi in Syriam venisse scripsit SATVRNINVM, *virum consularem*, *multisque defunctum honoribus* appellavit. (aa) Nunc omisso SATVRNINO ad successorem VARVM veniamus.

§. VI.

PVBLIVS QVINTILIVS VARVS illustri magis, quam nobili ortus familia, ut deses & avarus describitur a VELLEIO. (a) *Otio magis castrorum, quam bellicæ adsuetus militiæ; pecuniæ vero quam non contemtor, Syria, cui præfuit, declaravit, quam pauper divitem ingressus, dives pauperem reliquit.* Successit SATVRNINO Syriæ præsidi, (b) & ingressus est provinciam, anno urbis 748. VARVS, vir consularis, quippe qui septimo ante anno, urbis scil. 741. consul fuisset cum TIBERIO. Consulatum fasti marmorei demonstrant, (c) & DIO confirmat: (d) præsidium Syriæ nummi declarant, qui bono historiæ ac chronologiæ adhuc superant. Indicavit primus HENR. NORISIVS, cardinalium eminentissimus, amico PAGIO, (e) in scriniis RICCARDI, marchionis, latere nummum minimi quidem moduli, in quo sit caput Jovis & parte altera mulier sedens pede super fluvium, tenens dextra palmam, cum inscriptione hac: Επι Ουαρου. Αντιοχεων: & in medio ΕΚ, h. e. anno XXV. Hic nummus ab antiochensibus cusus est, cum jam Varus Syriæ præses

(z) Vid. NORIS. *cenotaph. pisan. diss. 2. p. 304. & seq.* quo loco permultos BARONII de SATVRNINO errores refellit.

(aa) *Antiqq. XVI, 17.*

(a) *Lib. II. cap. 117.*

(b) Clarissime IOSEPHVS XVII, 17. QVINTILIVS VARVS *successor* SATVRNINO *missus in regimen Syriæ*: διαδοχος μεν Σατορνινω της εν Συρια αρχης απεςαλμενος.

(c) Ap. PIGH. qui quidem sua ex ratione a. u. 740. adscribit. Item ap. NORISIVM, in XI. vol. antiquit. rom. Grævii.

(d) *Lib. 54. p. 330.*

(e) PAGIVS *appar. chronol. n. 136. p. 33.*

ses Antiochiæ sederet, (f) anno 25. ab actiaco prælio, quo antiochenses Augusto se dediderunt, urbis nempe 723. cui si 25. addas, efficitur numerus anni 748. quo anno urbis VARVS SATVRNINO successit in provinciam Syriam: ut ante etiam diximus. Quæ res hoc minus habet dubitationis, quod extant in gaza regia parisiensi, (g) & medicea florentina, (h) atque item penes IO. FIDE-VALENTEM, V. C. Parisiis, (i) nummi, similis figuræ, non modo a. XXV. sed annis quoque XXVI. & XXVII. antiochensium signati, quibus anni sequentes præfecturæ VARI syriacæ indicantur: atque id conficitur, annis U. 749. 750. & 751. Syriæ præsidem egisse VARVM: quorum primo quidem anno natus J. C. postremo mortuus HERODES est, quippe ad cujus pecunias custodiendas venit SABINVS, *procurator* (k) VARI præsidis. Ac NORISII viri illustriss. numerum nunc facile quoque emendamus, qui VARVM a. urbis 750. demum rectorem Syriæ posuit, (l) cum debuisset a. u. 748. VARVS autem quamdiu Syriæ præfuerit, ignoratur: non præfuisse ultra quinquennium, videtur consideranti consilia illa, quæ MÆCENAS AVGVSTO dederat: (m) videlicet, ne quem amplius quinquennio in provincia esse pateretur, nec quenquam triennio minus. Hoc quidem VELLEIVS docuit, (n) anno urbis 762. [761.] VARVM in Germania legatum (o) pro prætore egisse; perinde, ut SATVRNINVS ante ipsum

(f) Erat enim Antiochia Syriæ præsidum quasi regia. *Itaque* VARVS *rebus compositis, & relicta Hierosolymis legione in præsidio, reversus est Antiochiam*; inquit IOSEPH. *XVII, 12.*

(g) V. C. NICOL. TIONARDVS vidit, & significavit. PAG. l. cit.

(h) Quem vidit NORISIVS, & indicavit. PAG. c. l.

(i) Quod idem NORISIVS indicavit. PAG. *l. cit.* Sunt autem etiam apud alios ill. cl. q; viros Parisiis; si HARDVINO credimus *in chronol. V. T. pag. 617. seq. oper. select.*

(k) IOSEPHVS autor est *de bello II, 1.*

(l) In cenotaph. pisan. diss. 2. cap. XVI. §. XI. p. 310. sq.

(m) DIO autor est *lib. 52.* (n) *Lib. II. c. 117. 118. 119.*

(o) DIO lib. 56. Q. VARVS *Germaniæ post administratam Syriam præfectus &c.*

ipsum Syria defunctus adierat Germaniam; porro eundem VARVM infeliciter pugnantem cum ARMINIO, amissis tribus legionibus, [ad 20. millia militum] *paterni avitiq; exempli successorem, se ipsum transfixisse.* Quam cladem quemadmodum acceperit ac tulerit AVGVSTVS, memoriæ SVETONIVS prodidit,(p) ac nemo nescit germanorum. Caput VARI abscissum, a MAROBODVO rege missum Cæsari AVGVSTO est, atque ita tandem solum gentilitii tumuli sepultura honoratum. Neque illud non memoratu dignum, quod eodem modo pater VARI SEXTVS QVINTILIVS a. U. 712. quinquagesimo ante filium, interierit. Victus enim in campis philippicis, *liberti, quem id facere coëgerat, manu, cum se insignibus honorum velasset, jugulatus est.* (q) Hujus SEXTI filius, VARVS noster appellatur, in titulo marmoris, qui adhuc consulatus ejus ac ludorum memoriam conservat. Est autem titulus hujusmodi: (r)

P. Quinctilius. SEX. F. VARVS
Pontifex. COS.
Ludos votivos. PRO REDITV
Imp. Cæsaris. DIVI. F. AVGVSTI.
Jovi optimo. MAXIMO. FECIT
Ti. Claudio. Ti. F. NERONE CONLEGA
Ex. S. C.

§. VII.

VARO quis successerit Syriæ præses, ignoratur: (a) nisi quod

(p) *In* AVGVSTO, *cap. XXIII.*

(q) VELLEI. *Lib. II. cap. 71.*

(r) Apud GRVTER. *pag. XI. num. 2.* ex parte restitutus.

(a) NORIS. *cenot. pisan. diss. 2.* cap. 16. §. II. p. 314. *Itaque annus urbis 760. primus fuit syriacæ administrationis* QVIRINII. *Hinc cum* QVINCTILIVS VARVS *a. u. 750.* [749.] *in Syriam venerit, unus saltem medius inter utrumque ignotus adhuc nobis, præses Syriam tenuit. Neque enim pleno decennio sub* AVGVSTO *præsides in nobilissima provincia cum imperio detinebantur, juxta illud eidem a* MÆCENATE *suggestum; &c.*

quod HARDVINVS nummum nobis attulit antiochensium, anno uno ante QVIRINI adventum in Syriam excusum, cum nomine SATVRNINI VOLV - - VOLVMNII, an VOLVSII; de quo supra disputavimus. Certe a. u. 760. quo relegatus ARCHELAVS ethnarcha, seu princeps judæorum, est, P. SVLPICIVS QVIRINIVS, Publii Sulpicii Quirini, a. 717. [718.] cos. (b) filius, in Syria fuit, atque in Judæam venit, ut bona relegati venderet, pecuniam fisco Cæsaris addiceret. IOSEPHVS ubi librum XVII. fato ARCHELAI finivit, sequentem XIIX. orditur his: *Interea QVIRINIVS, senator romanus, per omnes honorum gradus ad consulatum usque provectus, & inprimis clarus, a Cæsare mittitur in Syriam, ut jura populis redderet, facultatesque censeret omnium: & cum eo venit Coponius, præfectus turmæ equitum, penes quem esset totius Judææ rerum administratio.* Jam ut ab ARCHELAO ordiamur, ei minus favebant VARVS & SABINVS; quod literis etiam Cæsari AVGVSTO significarunt, (c) & VARVS adeo ANTIPAM, fratrem ARCHELAI, aperte juvabat apud Cæsarem, ut etiam regem mallet, eaque de causa PHILIPPO quoque alteri fratri iter romanum suaderet, quo ANTIPÆ advocatum ageret: Qvinimo etiam judæorum legatis permitteret ire Romam, & accusare ARCHELAVM. (d) Igitur non invito quidem VARO ARCHELAVS regno primum, ac postea quoque principatu excidit: quanquam VARO in Germania demum nuncius ille de ARCHELAI exilio afferri

D po-

(b) Qui ante *tribunus plebis*, & *censor* fuerat. vid. PIGH. *annal. rom. vol. 3. lib. XVII. ad a. u. 709. p. 469. & ad a. u. 717. p. 490. 491.* Hoc quidem PIGHIVS de patre *Quirinii* probe: verum hoc perperam, quod eodem fere tempore, quo I. C. natus est, Archelaum Iudæa pulsum &c. scribit, ad a. u. 750. p 530.

(c) IOS. XVII, 11. *Quin &* SABINVS *scripsit* CÆSARI *literas, in quibus accusabatur* ARCHELAVS - - *Qui* [Cæsar] *perlectis* - - - VARI AC SABINI *literis* - - - *præterea, quæ* ANTIPAS *sibi regnum vindicans scripserat, amicos in consilium advocat, & in his* CAIVM AGRIPPÆ *&* IVLIÆ *filiæ suæ filium; jam a se adoptatum, primum ei locum in consistorio tribuens &c.* (d) IOS. *XVII. 12.*

potuit, cum ipſi quoque exitium impenderet. Nam in Syria ei interea ſucceſſum fuerat. QVIRINIVS autem ARCHELAO jam relegato in provinciam venit: id quod & rationibus annorum 37. ab actiaca victoria (e) ſupra confecimus, & liquidis verbis indicare videtur IOSEPHVS. (f) *Ceterum*, inquit, *ditione ARCHELAI contributa Syriæ, miſſus eſt illo a CÆSARE vir conſularis, QVIRINIVS, qui cenſum ageret per Syriam, & ipſius ARCHELAI domum venderet. Virum conſularem* vocat, recte: quippe qui proximus a VARO (g) *conſul* fuerat Romæ anno urbis 742. [741.] cum M. VALERIO MESSALA BARBATO, collega, ut DIO & faſti indicant. Porro, ſi *per omnes honorum gradus* ad conſulatum provectus eſt, uti IOSEPHVS alibi ſcripſit, (h) nimirum *quæſtor, ædilis, ſacerdos* & *prætor* (i) ante fuit QVIRINIVS, quam conſul crearetur. Anno urbis 748. ab Auguſto cæſare cum imperio proconſulari in *homonadenſes* miſſus eſt, qui ARCHELAI regis Cappadociæ ditionem, Piſidiamque, ac Lycaoniam, finitimas regiones, quas proprætor romanus tenebat, infeſtis agminibus populabantur, & *putabantur inexpugnabiles.* (k) Annum legationis hujus 748. colligo ex iis, quæ ſcripſit TACITVS de QVIRINIO: *Conſulatum*, inquit, *ſub divo AVGVSTO, mox expu-*

(e) Quos annos poſuit IOS. *XVIII*, *3.*

(f) *Antiqq. XVII*, *15. fin.*

(g) Male Κλαρου eſt apud EVSEBIVM, librariorum, ut opinor, errore. Verum, quod apud eundem *M*ESSALÆ & QVIRINO ſuccedunt RVBELLIVS & SATVRNINVS, ante TVBERONEM & MAXIMVM, id vero gravius erratum eſt.

(h) *Antiqq. XIIX*, *1.*

(i) Ita I. ANTONIVM, ſingulare exemplum clementiæ CÆSARIS . . . *ſacerdotio, pratura, conſulatu, provinciis* honoratum ſcribit VELLEIVS *II*, *100.* Et de TIBERIO SVETON. c. 9. *Magiſtratus* - - *percurrit, quaſturam, praturam, conſulatum &c.*

(k) STRABO, ſcriptor hac tempeſtate clarus, quippe ÆL. GALLVM, AVGVSTI legatum, ex Ægypto in Arabiam comitatus, ut amicus & ſodalis, *lib. XII.*

expugnatis per Ciliciam homonadensium castellis, *insignia triumphi adeptus*, *datusque rector CAJO Cæsari Armeniam obtinenti*, *TIBERIVM quoque Rodi agentem coluerat*, *quod tunc patefecit in senatu TIBERIVS.* Nam si Tiberium Rodi agentem coluit QVIRINIVS, TIBERIVS autem annum urbis 748. & consequentes sex egit Rodi; quod scriptores confirmant; (l) initio hujus secessus, anno nempe urbis 748. salutatus ab Quirinio est, videlicet *nemine cum imperio*, *aut magistratu tendente quoquam*, *quin diverteret Rodum*; uti SVETONIVS scripsit, (m) & ante ipsum VELLEIVS, haut paulo quidem gloriosius: (n) *Ita septem annos Rodi moratum* [*TIBERIVM*] *ut omnes*, *qui procoss. legatique in transmarinas profecti provincias*, *visendi ejus gratia ad eum convenientes*, *semper privato* [*si illa majestas privata unquam fuit*,] *fasces suos summiserint.* Inter hos vel primus Quirinius, anno u. 748. salutato Rodi TIBERIO, profectus Lycaoniam in homonadenses est, quos montibus septos tandem fame fregit, uti STRABO optimus autor tradidit. (o) Illa victoria *insignia triumphi* adeptus, (p) & *clarus imprimis*, anno sequenti, 749. extraordinaria cum potestate, qua modo feliciter usus erat, in Syriam legatus ab AVGVSTO venit, census peragendi causa, (q) cum jam HERODIS regnum ad finem vergeret, & AVGVSTVS iterum nu-

(l) VELLEIVS, miles ipse TIBERII, & ex tribuno castrorum præfectus equidem, *lib. II. c. 103.* in TIBERIVM, Rodo revertisse scribit P. VINICIO cos. h. e. a. u. 755. [754.] *Septem annos Rodi moratum*; lib. eod. c. 99. Similiter SVETON. c. 14. *Rediit octavo post secessum anno.*

(m) In TIBERIO, *Cap. XII.*

(n) *Lib. II, c. 99.*

(o) *Lib. XII. Ipsos* QVIRINIVS *fame expugnavit*, *ac quater millia viros vivos cepit*, *inque vicinis urbibus collocavit*, *regione vacua hominum vigentis aui relicta.*

(p) Non *consulatum* tunc demum meruit, ut GROT. scripsit *annot. ad Luc. II. 2. p. 623.* injuria laudans TACITVM, quippe qui *annal. III. 48.* consulatum posuit ante victoriam *Quirinii.*

(q) *Luc. II, 2.*

numerum civium, clientumque rom. in tabulas referre instituisset: quod lapis ancyranus loquitur. Huic rei idoneus erat QVIRINIVS inprimis, quippe vir illustris, & *prædives*, (s) autoritate sua & liberalitate obscuraturus VARI, qui tum forte Syriæ præerat, avaritiam, atque omnem remoturus seditionis materiam. Quamdiu fuerit in Syria cum imperio extraordinario QVIRINIVS, non liquet. Inde autem digressum, *rectorem* CAIO Cæsari esse anno urbis 755. [754.] *datum*, persuadet reditus TIBERII Romam, qui hoc anno factus VINICIO cos. fuit. Nam cum TIBERIVS non ante redierit Romam, quam id CAIVS Cæsar assensisset, (t) atque hic tum demum permiserit, cum esset LOLLIO, comiti ac rectori suo, *infensior* factus, qui quidem criminationibus suis odium CAII in TIBERIVM aluerat: igitur offensio LOLLII, & reditio TIBERII, & QVIRINII præfectura cajana in eundem annum urbis 755. [754.] conferendæ videntur, propterea, quod Cæsar AVGVSTVS, remoto LOLLIO, atque *intra paucos dies mortuo*, (u) suum CAIVM absque rectore esse diu non sit passus, sed quamprimum novo ac magis idoneo moderatore instruxerit. Quanquam minime quidem diuturnum istud muneris QVIRINIO fuit; quoniam CAIVS aliquamdiu reluctatus invitusque ex Armenia *revertens in Italiam*, *in urbe Lyciæ*, *Limyram nominant*, *morbo obiit*, CATO AC SENTIO coss. a. u. 757. [756.] die 21. Februarii, (x) *cum ante annum ferme*, *L. CÆSAR*, *frater ejus*, *Hispanias petens*, *Massiliæ decessisset*. (y) Quod ad annum magisterii

(s) SVETON. in TIBER. cap. 49.

(t) SVETON. TIBER. *cap. 13.*

(u) VELLEI. *II*, *102.*

(x) In *cenotaphio* CAII apud Pisas, quod NORISIVS illustravit, ita inscriptum est: DIEMQVE. EVM. QVO. DIE. C. CÆSAR. OBIT. QVI. DIES. EST. A. D. VIIII. K. MARTIAS. PRO. ALLIENSI. LVGVBREM. MEMORIÆ. PRODI. NOTARIQVE. IN. PRÆSENTIA. OMNIVM. IVSSV. AC. VOLVNTATE. &C. ac infra: SEXTO. AELIO. CATO. C. SENTIO. SATVRNINO. COS. cet.

(y) Ann. u. 755. die 21. Aug. *A. D. XII. K. SEPT.* est in *cenotaphio pisano*,

ſterii cajani, u. 755. attinet, una reliqua difficultas eſt, ex eo videlicet, quod CAIVS poſt pacem parthicam, in qua LOLLII *perfida conſilia, per parthum indicata*, (z) patuerunt, legatur in Syria hibernaſſe cum legionibus, atque ineunte demum vere in Armeniam contra TIGRANEM profectus; quo tempore, atque adeo poſt deditionem *Armeniæ*, videatur tandem QVIRINIVM rectorem accepiſſe: (a) ſiquidem TACITVS ſcribat, *datum QVIRINIVM rectorem CAJO Cæſari, Armeniam obtinenti*. Illud ut ut eſt, menſium aliquot, non anni unius, differentiam efficiet. Mortuo CAIO in itinere a. u. 757. QVIRINIVS Romam profectus fuit, atque anno 760. in Syriam reverſus, ARCHELAO relegato, quid egerit, IOSEPHVS ediſſeruit. (b) *Quin & ipſe*, inquit, *QVIRINIVS in Judæam venit, jam attributam provinciæ Syriæ, ut percenſeret facultates ejus regionis civium, & ARCHELAI facultates venderet. Illi vero tametſi primum ægre ferrent mentionem deſcriptionis, non ſunt tamen reluctati pertinaciter, parendo autoritati pontificis JOAZARI, qui BOETHI fuit filius. Atque ita illius ſuaſu ſine controverſia cenſus peractus eſt. Extitit tamen poſt quidam JVDAS gaulanites*, &c. quibus deinceps initium ſeditionis judæorum &, quod tandem conſecutum eſt, exitii, prodit IOSEPHVS. Lapſus autem EVSEBIVS errore hunc *cenſum* judæorum confudit *deſcriptioni* orbis romani, quæ decem ante annis, naſcente J. C. facta fuerat, (c) inductus, ut opinor, eo, quod utrique QVIRINIVM præfuiſſe intellexerat. Romam e Syria redux *ante obitum* AVGVSTI, QVIRINIVS, poſtea TIBERIO imperante accuſavit uxorem ÆMILIAM LEPIDAM, feminam illuſtriſſimam, quæ LVCIO *Cæſari* quondam ſponſa & *AVGVSTO nurus deſtinata* fuerat,

 adulte-

ſano, ap. NORISIVM. SVETON. in AVGVSTO, *cap. 65*. CAIVM & LVCIVM in duodeviginti menſium ſpatio amiſit ambos; CAIO in Lycia, LVCIO Maſſiliæ, defunctis.

(z) VELLEI. *II, 102*.

(a) A. U. 756. quod voluit NORISIVS in *cenot. piſ. p. 267. & 317*.

(b) *Antiqq. XVIII, 1*.

(c) Huic enim tempori ſeditionem IVDAE galilæi componit in *can. chr.*

(d) adulterii, & apud TIBERIVM, bonis suis inhiantem, facile ream peregit: quam rem paucis perstringit SVETONIVS, indignatus rapinis imperatoris. (e) *Condemnatam* scribit *& generosissimam feminam, LEPIDAM, in gratiam QVIRINI consularis præd. vitis, & orbi, qui dimissam eam e matrimonio, post vigesimum annum veneni olim in se comparati arguebat.* Condemnatam feminam legimus, quia *orbus* erat QVIRINIVS; h. e. sine liberis decessurus, & TIBERIO bona relicturus, etiamsi *ream MANIVS LEPIDVS frater* defenderet; quem quidem MANIVM (f) 9. annis ante illud judicium sororis, consulem a. u. 764. fuisse demonstrat NORISIVS. (g) Unum annum superfuit isti judicio senex QVIRINIVS, quippe *TIBERIO IV. & DRVSO II. coss.* hoc est anno u. 774. mortuus Romæ, *ac publicis exequiis*, (h) elatus.

§. VIII.

Desinerem hic de QVIRINIO; nisi HARDVINVS novam ei sedem assignasset, in *Syria decapolitana*, quæ *a numero oppidorum*, ut PLINIVS docet, nomen habeat, & cujus *Syriæ caput Damascus* (a) appelletur, indeque NAAMAN *syrus*: (b) in quam denique *totam Syriam* fama de J. C. permanarit, (c) quippe Galilææ vicinam. Nam cum nummum reperisset ANNIÆ AVRELIÆ FAVSTINÆ, signatum. ΕΠΙ. CΤΡΑ. ΚΥΡΙΝΟΥ. ΡΑΦΑΝΕΩΤΩΝ. ΑΟC. *sub prætore CYRINO*, in civitate *raphaneotarum*, anno fœderis romani sub I. CÆS. 271. hoc est, anno primo SEVERI ALEXANDRI, J. C. 222. existimavit, *haut immerito videri, ubi LVCAS dicit*, a præside Syriæ CYRINO, *Syriam decapolitanam intelligi oportere: primum enim, cum facta sit* descriptio *non* præside *vel* sub præside, *ut prave in græco legatur, sed ut recte vulgata*

[d] TAC. *annal. III, 23.* [e] SVET. TIBER. *cap. 49.*
[f] MARCVM male vocarunt SIGONIVS & PANVINIVS in *fastis.*
[g] In *cenotaph. pis. diss. 2. c. 14. p. 257.*
[h] TACIT. *annal. III, 48.*
[a] ES. *VII, 8.* [b] *2. reg. V, 10.*
[c] MATTH. *IV, 23.*

vulgata editio habeat, a præside Syriæ CYRINO; (d) *longe verisimilius esse, in Judæam ad hanc descriptionem venisse eum e decapolitana regione, quam ex antiochena: deinde decapolitanam regionem in S. libris non semel Syriam nuncupari.* Præterea *non uni eidemque præsidi subjectam fuisse videri utramque Syriam, antiochenam & damascenam, cum esset alia alio tempore acquisita*; & antiochena quidem nummos signaret ab Asia recepta, damascena autem (e) *ab icto fœdere cum JVL. CÆS. & ANTONIO, a. u. 705. Denique apud PLINIVM, V, 13. & 18. ubi Phœnice desinat usque ad Ciliciam, non appellari Syriam simpliciter, sed* Syriam antiochiam, *in qua Laodicea ad mare, Seleucia, ipsaque Antiochia sit. Nec Phœniciam illa Syria contineri, nec Palæstinam, nec Decapolin, sive Syriam damascenam: quæ cum Syria simpliciter ab ESAIA & aliis sacris scriptoribus nominetur, intelligi oportere, eam ipsam a LVCA fuisse designatam. - - - - Præsides autem Syriæ, quorum nomina in nummis antiquis inscripta legantur, [si tamen ii fuerint præsides,] præsides tantum fuisse Syriæ antiochiæ. Quæ causa sit, cur non inscripta sint ea nomina, nisi in nummis* ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ *&* ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ. *Non esse igitur in nummis antiquis, qui nomina duntaxat exhibeant præsidum Syriæ antiochiæ, CYRINVM quærendum, qui præses tantum fuerit Syriæ decapolitanæ. Nam nec PILATI, nec FELICIS, nec FESTI nomina, qui præsides Judææ fuerint, nummis antiquis exhiberi.* Hæc latius ex HARDVINO (f) descripta reposui, ut sententiam ejus plane explicarem, & candorem ipsi præstarem ingenuo lectore dignum. Porro ad propositum quod attinet, parum videtur effecisse HARDVINVS pugnans nummis non recte expositis adversus scriptorum veterum pene omnium fidem. Nam si *raphaneotæ* nummum sua æra percusserunt *præside CYRINO*, an ideo necesse est, singularem fuisse præsidem raphaneotarum vel Syriæ damascenæ confiteri? Nisi forte tot pene provin-

[d] Contra codici græco patrocinatur Nat. Alexander in H. E. sec. I. diss. 2. quæst. 1. p. 67

[e] *Raphaneotarum, ptolemaitarum*, ac *botryenorum*, nummos.

[f] *Chronol. V. T. p. 618. 619. oper. selector.*

vincias & præſides volumus fingere, quot civitates honori præſidis provinciæ nummos ediderunt. Quis neſcit, Syriæ, Aſiæ, Græciæ, Macedoniæ, Ægypti, Germaniæ, Galliæ, Hiſpaniæ, maximas provincias, tempore Cæſarum ſuos habuiſſe rectores vel legatos, ſummos viros, quorum nominibus civitates quam plurimæ nummos exornarent, totidem videlicet unius provinciæ civitates, quot ea tempeſtate jure monetæ utebantur, fruebantur. Antiochia, Seleucia, Smyrna, in nummis ſunt cum nominibus præſidum non ſane ſuorum, aut ſuæ provinciæ, ſed Syriæ, ſed Aſiæ, præſidum. Ecquid ad illas provincias collata regio decapolitana erat? Hæccine præſidem proprium habuerit? At Judææ, inquit HARDVINVS, præſides, PILATVS, FELIX, FESTVS, fuerunt; quidni & CYRINVS decapolitanæ? Unde didicit autem HARDVINVS, PILATVM, FELICEM, FESTVM, præſides fuiſſe, cum numos non habuerit illorum nominibus inſcriptos: quod ipſe fatetur, libri autem antiqui *procuratores* Judææ a *præſidibus* Syriæ probe diſtinguant. (g) Quid? quod pugnantia loquitur de CYRINO HARDVINVS. Modo enim dicit, non eſſe ejus nomen in nummis antiquis requirendum, quia Syriæ decapolitanæ tantum præſes fuerit, modo nummum CYRINI, præſidis Syriæ decapolitanæ, profert ac laudat. Quod ſi tempeſtate SEVERI ALEXANDRI CYRINVS præſes illius regionis in nummis eſt ſignatus, dicat HARDVINVS cauſam, cur tempore J. C. non fuerit ejusdem regionis præſes, ut arbitratur, CYRINVS in nummis inſcriptus. Omitto, quod editionem vulgatam græco N. T. codici opponit: quem errorem alio tempore emendavimus.

§. IX.

Q. CÆCILIVS METELLVS SILANVS CRETICVS, qui a. u. 760. *conſul* fuerat, ſucceſſit QVIRINIO in Syriæ provinciam anno urbis 765. quod

[g] Contra ac BARONIVS fecit, qui procuratores Judææ eosdem & præſides Syriæ putavit, ideo reprehenſus a NORISIO in *cenot. piſ. pag. 300.*

quod nummus indicat *antiochensium*, anno 42. SILANO præside excusus. (a) Nam si anno urbis 723, quo labente actiaca victoria parta est, (b) addas 42. qui sunt in nummo, nempe annum 765. urbis effeceris. Quo accedit, quod hoc anno urbis quinquennium QVIRINII excurrit; ultra quod præsidem in provincia esse non patiebatur AVGVSTVS ex consilio Mœcenatis. Sunt præterea nummi *antiochensium* annis 43. (c) & 44. (d) h. e. annis urbis 766. & 767. hoc eodem SILANO præside procusi, qui significant, eundem his annis continuis præfuisse Syriæ, usque ad AVGVSTI obitum. Quin etiam nummus est eorundem, anno I. TIBERII, & *45. antiochenorum*, *sub SILANO* præside, signatus, cum capite TIBERII laureato, & inscriptione hac gr. AVGVSTVS AVGVSTI fil. qui nummus significat anno primo TIBERII, urbis 768. eundem SILANVM Syriæ præsidem egisse: quod idem alius nummus significat anno *antiochensium 47.* TIBERII *tertio*, SILANO præside signatus: & denique ultimus *sub SILANO*, *anno antiochensium 49.* hoc est, urbis 772. Ad quem annum usque SILANI quasi præsidis nomine nummos obsignarunt antiochenses. Nam quanquam PISONEM anno urbis 770. SILANO subrogarat TIBERIVS, cum GERMANICVM in orientem destinasset, (e) tamen eundem GERMANICVS sibi adversantem provinciæ abire jussit: & reversum etiam, mortuo GERMANICO, legati Romam compulerunt. (f)

§. X.

De reliquis præsidibus Syriæ alias forte licebit exponere. Nunc verbum addam de PONTIO PILATO, qui sub L. VITELLIO Syriæ præside,

(a) Nummus ex ære mediocri ap. HARDUIN. *in nummis antiq. illustr. p. 21. op. select.* & in *chronol V. T. p. 625. op. sel.*

(b) Et unde æram antiochensium ducendam esse, tandem confessus est NORISIUS PAGIO, epistola data, quam laudat PAG. *critic. in ann.* BARON. *a. C. 14. n. 4. p. 14.*

(c) In gaza regia paris. ap. eund. HARDUINUM locis citatis.

(d) Ap. IOBERTUM & HARDUINUM locis citt.

(e) TAC. *lib. II, 43. ad a. n. 770.* (f) TAC. *l. cit. ad a. 772.*

præside, (a) procurator, ἐπίτροπος, erat Judææ. Hunc IOSEPHVS narrat (b) seditiosos samaritas compescuisse, sed ea de re accusatum, Romam ivisse, decem annis in Judæa exactis, atque eadem tempestate TIBERIVM obiisse. *Tum*, inquit, *primates* [samaritarum] *adeunt VITELLIVM, virum consularem, & Syriæ præsidem, PILATVMQVE cædis accusant, negantes defectionem fuisse a romanis illum concursum in Thiratabа, sed refugium contra PILATI violentiam. At VITELLIVS, MARCELLO amico ad procurationem Judææ misso, PILATVM jussit Romam proficisci, responsurum apud cæsarem ad objecta per iudæos* [samaritas] *crimina. Ita ille decem annis exactis in sua provincia, cum necesse haberet parere VITELLIO, ad urbem iter suscepit. Quo prius quam perveniret, vita excessit TIBERIVS.* Hæc res declarat, fictam esse ab HENSCHENIO, PAGIO, & ceteris, æram TIBERII proconsularem vel provincialem. Nam si decem annis in Judæa exactis PILATVS profectus Romam est, eodem tempore, quo TIBERIVS decessit, nimirum anno tertio & decimo TIBERII imperatoris in Judæam venit PILATVS, urbis 780. [779.] octavo ante VITELLIVM præsidem, cum L. POMPONIVS FLACCVS adhuc præesset Syriæ, M. LICINIVS & L. CALPVRNIVS coss. Romæ. Atqui hic erat *annus XVII. imperii proconsularis TIBERII, & secundus annus prædicationis CHRISTI* in chronologia henscheniana; (c) quam si sequamur, IOHANNES cœpit concionari, & JESVM CHRISTVM tinxit biennio antequam PILATVS in Judæam venit, quod est manifesto alienum a vero: cum LVCAS, non refellendus autor, scripserit: (d) IOHANNEM, *anno decimo quinto* TIBE-

(a) Patre AVLI VITELLII, qui postea imperavit. De isto SVETON. in VITELL. *cap. 2.* & DIO *lib. 60.* quo dicitur *Syria abs se gubernata insignis*; laudatur item a PHILONE in *legat. ad.* CAI. JOSEPHO *XIIX, 5.* & *6.* TACITO, *lib. VI, 32. ad a. 788.*

(b) *Antiqq. XIIX, 5.*

(c) Ad tom. I. Aprilis act. SS. diatr. prælimin. in catalogos vett. romanor. pontif. exercitat. II, §. 14. pag. X. item in chronologia sacra Is. Vossii, p. 232. idem vitium inest.

(d) LVC. *III, 1.*

TIBERII, cum PILATVS *Judææ res procuraret*, (e) prodiisse ad concionandum & lustrandum. Quanto igitur verius est, *annum decimum quintum imperii TIBERII cæsaris*, qui est apud LVCAM, esse ab obitu AVGVSTI numerandum, prouti scriptores omnes, iudæi, (f) græci, romani, lapides, nummi, & monumenta, quæ sunt usquam, annos TIBERII numerare consueverunt. Quo facto, PILATVS biennio ante in Judæam venit, quam IOANNES prodiit in publicum, quod est LVCÆ notationi valde consentaneum. Nimirum verum vero consonat. Quod autem scripsit idem divinus autor, (g) JESVM CHRISTVM, *annos triginta* natum, suscepisse sacramentum, minime ille præcise ætatem J. C. designavit, quasi nihil superasset, verum addidit particulam, *ferme*, qua plures paulo annos complexus est. (h) Nam si natus erat J. C. AVGVSTO XII. & L. CORNELIO SYLLA coss. anno urbis 749. [748.] juliano 41. AVGVSTI 40. Herodis 36. idem decimo quinto TIBERII, GEMINIS coss. annos XXX. & tres expleverat. Pro quibus *ferme triginta* edidit LVCAS, ut doceret, J. C. consentanee egisse ebræorum legibus & institutis, quippe vetantium, ne quis ante annum XXX. ætatis completum, munere fungatur levitico, *num. IV, 3. & 47. 1. paralipom. XXIII, 2.* unde apparet levitis tempus legitimum aggrediendi muneris fuisse tum, cum XXX. annos superassent, ac *tricennarii*,

(e) Non enim fuit PILATVS *præses Judææ*, quod *Henschenius* scripsit, l. cit. quanquam d. LVCAS communi vocabulo utitur ἡγεμονευοντος, perinde ut IOSEPHVS.

(f) e. g. IOSEPHVS.

(g) LUC. *III, 23.*

(h) Perinde, ut VELLEI. *hist. rom. lib. II. cap. 102. fin. pag. 274.* CAIUS revertens in Italiam, in urbe Lyciæ [Limyram nominant] morbo obiit, cum ante *annum ferme* L. CÆSAR, frater ejus, Hispanias petens, Massiliæ decessit. *Annum ferme* vocat *duodeviginti mensium spatium*, quod SVETON. posuit, in AVGVSTO cap. 65. & in TIBER. c. 15. *intra triennium defunctos*, scripsit: id quoque recte: ut NORISIVS docuit in *cenot. pisan.*

בני שלושים שנה, jam facti essent. Nec sine causa annotaverat MOSES, cum IOSEPHVS præponeretur Ægypto, fuisse jam triginta annos natum, ac fortasse amplius, בן שלושים שנה, inquit, quod græci interpretes reddiderunt, *ετων τριακοντα*, similiter ut LVCAS de J. C. scripsit, *fuisse ferme triginta annorum*: non certe minus, quia id non licebat, amplius igitur, quod licebat, per legem & consuetudinem. Quocirca recte sensit IO. CHRYSOSTOMVS, cum J. C. *post* annos XXX. ad baptismum venisse scripsit. Recte IVSTINIANVS imp. *novella 137.* præcepit, ut qui eligeretur episcopus, annum XXX. ætatis excederet: rectius etiam synodus neo-cæsariensis (i) canone XI. idem presbytero tempus præfinivit. Frustra autem in contrarium urgeat aliquis illud, quod est apud LVCAM, *αρχομενος*, quasi J. C. *cœpisset* demum esse tricennarius. (k) Nam illud ipsum non dicitur, nisi de eo, qui 30. annos explevit, (l) & abest a syriaco hoc vocabulum, & ubi est ad initium functionis J. C. publicæ pertinet: videlicet, ut J. C. dicatur *cœpisse concionari* tot annos natus, non cœpisse tot annorum esse. *Ipse vero JESVS erat ferme annorum triginta*, inquit evangelista, *incipiens* nempe ministerium, *filius qui credebatur esse JOSEPHI* &c. Quo loco recte animadverterunt viri græce docti, (m) non posse illud *αρχομενος incipiens* referri ad annos ætatis J. C. sine vitio manifesto sermonis. Neque enim recte dici græce, *αρχομαι ετων τριακοντα*, *incipio annos triginta*, sed incipio annum trigesimum. Et respectus ad superiora, versu præcedente 22. exposita, de baptismo,

(i) A. C. vulgari 314. *Presbyter ante annos 30. non ordinetur . . . . Dominus enim I. C. in anno XXX baptizatus est.*

(k) IRENÆUS *lib. II. adv. hæres. c. 22. pag. 148. ed.* MASSVET. hoc urfisse scribit hæreticos; ipse triginta annos natum I. C. baptismum accepisse, sed 40. annos & amplius natum cœpisse docere censet, l. cit.

(l) Ut *anniculus* dicitur is demum in legg. rom. qui diem 365. agit.

(m) SCALIG. de emend. temp. lib. VI. p. 255. & GROT. annotat. in h. l. p. 649.

ptiſmo J. C. de teſtificatione patris cæleſti, & loca ſimilia indicant, quo illud αρχομενος referri velit: e. g. iſte locus act. I, 22. αρξαμενος, *exorſus a baptiſmo JOHANNIS*, cet. & ib. 1. verſ. ὧν ἤρξατο, *quæ cœpit & facere & docere.* Nempe vis quædam præcipua ineſſe videtur huic vocabulo, αρχομενος, *incipiens*, vel exordiens: ut ſignificet eum, qui exortus eſt, vel extitit, atque aliquid noviter dicere vel facere aggreſſus eſt. (n) *Jeſus vvar ohngefehr dreiſſig Jahr alt, als er anfing*, nemlich ſich zuzeigen. *Erat J. C. annorum ferme triginta, cum exordiretur.*

§. XI.

Reliquum eſt, ut de menſe natali I. C. quæſtiunculam quaſi coronidem imponamus huic diſputationi. Nam dies fruſtra inquiritur. (a) Vulgo diem XXV. decembris ponunt, (b) &, qui veteres in occidente doctores nihil erraſſe volunt, hodieque defendunt, ex. gr. NICOL. TOINARDVS aurelianenſis V. C. in *harmonia avangeliorum græco-latina.* Ac veteres quidem magiſtri occidentis (c) fuerunt in eo errore verſati, ut ZACHARIAM, patrem JOHANNIS, ſummum ſacerdotem putarent, qui die expiationis 27. Septembris adytum ingreſſus, nuncium angelicum de filio naſcituro habuerit. Igitur ab eo tempore conceptum Iohannem poſuerunt, editum in lucem 24. die Iunii anni ſequentis, & ſex menſibus poſt, I. C. nempe die XXV. Decembris. (d) Quin etiam hoc argumenti

(n) Ebraiſmum vocat SCALIG. *l. cit.* qualis eſt *Gen. IX, 20.* in hoc, ηρξατο Νωε ανθρωπος γεωργος γης, και εφυτευσεν αμπελωνα.

(a) Contra BARON. feriam I. volueraț. Sed hunc confutavit SAM. BASNAGE in *annal. polit. eccleſ. anno ante D. v. n. 35. p. 121. vol. 1.*

(b) *VIII. Kal. jan.* quo in *calendario rom. ap.* LAMBEC. IV. eſt *natalis invicti*, h. e. ſolis. add. CYPRIAN. *comp. p. 69.* & LEON. *ſerm. 2. de nativ. Chr.*

(c) Nam hos fuiſſe erroris hujus magiſtros, docuit SCALIG. *l. cit. Argumenta*, inquit, *omnia ſunt ab eccleſia occidentis.*

(d) IO. *nican. epiſt. ad* ZACHAR. *cathol. Armeniæ.* ap. COMBEFIS. *vol. 2. auctar. bibliothecæ patr.* narrat, quomodo JVLIVS p. r. CYRILLVM ieroſol.

ti addiderunt, (e) e dicto Ioh. III. 30. *Illum oportet crescere, me autem minui:* ex eo nempe confecerunt, I. C. natum, quando dies incipiunt *crescere*, h. e. XXV, Decembris, IOHANNEM vero, quando dies incipiunt *decrescere* h. e. 24. Iunii. *Nugæ*, inquit SCALIGER, ubi hæc argumenta recitavit. (f) TOINARDVM V. C., qui diem eundem XXV. Decembris ex classibus sacerdotum efficere studuit, quo argumento SCALIGERVM viderat usum, ab aliis rejectum legi, eo quod classis eadem ABIÆ, e qua ZACHARIAS d. 31. Augusti ministraverit, post 24. hebdomades recurrisset. (g) Itaque hoc genus argumenti, quo SCALIGER antea diem natalem IOHANNIS fini Martii, vel initio Aprilis, natalem IESV CHRISTI *fini Septembris*, vel *initio Octobris* adscripserat, omittamus, alio utamur. (h) In Palæstina circa initium autumni pluviæ incipiunt continuæ sic, ut proficisci nemini placeat, nedum pecus in campis agere: pluviis succedit hyems, & circa initium veris iterum pluviæ sunt. Quamobrem ante primam pluviam armenta redibant domum, nec pastores amplius tuguria habebant in agris, ut pecora observarent, sed circa pascha iterum pecora educebant. (i) Igitur extremis anni mensibus nec MARIA proficisci potuit Betlehemum, nec pastores in agris pecus agere. Quod idem nec prioribus anni mensibus hi potuerunt.

---

sol, id edocuerit e codice JOSEPHI, quem TITVS Romam attulerat, scilicet.

(e) NYSSEN. *orat. de I. C. nativ.* & AMBROS. *serm. 8.* Itemque AVGVSTIN. *in psalm. 132.* (f) *Canon isagog. lib. III. p. 307.*

(g) *A. E. lips.* supplem. IV, XI, pag. 506. Add. RELAND. *antiqq. ebr. part. 2. c. 4. §. 2.*

(h) Contra CASAVBON. *exerc. in* BARON. 2. n. 156. male existimavit hoc argumentum negligendum esse, ex Angliæ rationibus. *Quia in Anglia - - armenta toto anno in agris pernoctent.* Non enim est Palæstinæ eadem ratio. Et frustra laborat NAT. ALEX. *H. E. sec. 1. diss. 2. qv. 1. p. 74.* in CASAVBONI ratione firmanda.

(i) RELAND. *antiqq. ebr. part. IV. c. 1. §. 10. p. 373.* IO. LIGHTFOOT, *hor. ebr. talm. in* LVC. *II, 8.* ex ipsis ebræorum tabulis confirmat.

potuerunt. His igitur mensibus, Octobri, (k) Novembri, & Decembri, item Januario, & Februario, usque ad labentem Martium, natus I. C. non est. Græci, qui ante IO. CHRYSOSTOMVM ignorarunt diem XXV. decembris (l) J. C. natalem habendum, videlicet commemorant, (m) alios ex antiquis doctoribus natalem J. C. in 25. diem mensis Pachon, h. e. *20. Maii*, alios in d. 24. vel 25. Pharmuti mensis, h. e. 19. vel *20. Aprilis*, contulisse. Quos equidem propius a vero absfuisse censeo: nec miror, romanos, vel occidentales, qui ab anno vero nati J. C. etiam biennio, quam græci, longius aberrarunt, duce suo DIONYSIO exiguo, sec. VI. in. abbate, mensem ac diem non invenisse. *Tollendus* (n) *ergo error inposterum. Neque vero succensendum nobis, qui mendum in ratione temporum aperuimus, sed danda opera, ne hostibus reip. christianæ, judæis, & mahumedistis, ludibrium debeamus, qui per tot secula annum natalis ejus ignoravimus, cujus ope & beneficio nos ad gratiam & vitam æternam renati sumus.*

FINIS.

(k) Contra D. A. Q. R. lib. nuperrime Lipsiæ edito, a. 1721. form. 4. vom wahren alter der welt, *de vera ætate mundi*, medio *Octobri* natum I. C. putat, nempe I. *die* festi tabernaculorum, 15. mensis 7. h. e. Tisri, & quidem noctu sabbati. Cujus rationes in conflictu licebit expendere. V. cl. DES VIGNOLES, 20. diem Majie legit. V. *la bibliotheque germanique, tom. 2. p. 60. ss.* PETRVS ALLIX, vir rev. & cl. mensem Aprilem; in *diatriba de ann. & mense natali I. C.* Londini, 1722 8. ed.

(l) CHRYSOST. *hom. in natal. D.* ait, nuper ante annos decem forte innotuisse. *Nondum X. annus est, ex quo hic ipse dies manifeste nobis innotuit*, &c. vol. V. serm. 31.

(m) CLEM. alexandr. *stromat. I. pag. 340.* EPIPHAN. *hær. 51. n. 29. anno addunt 12. kalend. Junii*, h. e. 20. Maji. Quin imo CYPRIANVS comp. p. 69. *ut illo die, quo factus est sol, nasceretur* CHRISTVS, *quinto kal. Aprilis*, [28. Martii] *feria quarta.*

(n) SCALIGER *de emendat. tempor. lib. VI. pag. 255.* scripsit, anno vulgari 1582. *Tollendus error* ex animis hominum, non e publicis tabulis: neque enim hoc voluit SCALIGER, ut opinor; neque in hoc ista hactenus disputavimus.

S. D. G.

CONSPECTVS DI
DE ANNO N

§. I. Pagius *annum natalem*
ditæ, refellitur, item
Antipatri romanis.

§. II. *index præſidum Syr*
ieroſolymitanum usque

§. III. *de* Quirinio, *ejusqu*
urbis 749. quo natus I.

§. IV. Baſnagii *dubitatio d*
ordinario, rationibus &

§. V. *de* Saturnino *Syriæ*
ter Varum & Quirin
adhuc incognitus, quær

§. VI. *de* Varo, *Syriæ præ*

§. VII. *de* Quirinio, *jam*
ceptatur.

§. VIII. Harduinus *de Syr*
ſede, refellitur.

§. IX. *de* Silano, *præſide*

§. X. *de* Pilato, *procura*
geretur & cum paterer
berii *proconſulares, q*
admiſerant, rejiciuntur

§. XI. *denique menſis nat*
perſtringitur, & diſputa

FINIS CONSPECTVS

S DISPVTATIONIS II.
NO NATALI I. C.

natalem I. C. ponens 748. *urbis con-*
, *item* Norisius *de septem mensibus*
nis.

um Syriæ a Iul. Cæs. ad excidium
n usque, subnectitur.

, *ejusque censu judaico ad annum*
natus I. C. est, disputatur.

bitatio de Quirinio *censitore extra-*
nibus & exemplis solvitur.

Syriæ præside, & qui medius in-
Quirinium *fuit, doctissimis viris*
s, quæritur.

yriæ præside, memoratur.

, *jam Syriæ præside, uberiusdis-*

s de Syria decapolitana, Quirinii

præside Syriæ, exponitur.

procuratore Iudææ, cum I. C. *tin-*
n pateretur, disquiritur: anni Ti-
ares, quos Henschenius *&* Pagius
ejiciuntur: ætas I. C. *patefit.*

nsis natalis I. C. *inquiritur, dies*
& disputatio concluditur.

PECTVS DISPVTATIONIS.